Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 643

Quelle:
Copyright:

nis in Seytz Ord. Cartuſienſis fundati in *Styria* anno 1164.

CCVI. VIII E 26.

375 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 118. f. luculente ſcriptus et rubricis notatus complectitur: I. *Hilarii* Commentarium in *Matth.* hoc titulo: *Incipit Tractatus Sancti Hylarii Pictauienſis Epiſcopi In Euangelium Super Matheum.* Scripſit *Tractatum* hunc magnus Praeſul circa an. 355. ut notant Editores *Mauriani*, apud quos habetur *col.* 609. *Pariſ.* 1693. f. in *Capita* tributus, cum nobis *Numeris* conſtet, iisque, licet textus rite procedat, mire confuſis ex. cauſſa I. VII. XIII. XV. XVI. XXV. XXVI. &c. Collatione inſtituta raro deprehenditur lectionis diſcrepantia, quam non jam *Mauriani* adnotaſſent. Unam adſcribo non procul a principio, ubi *Edita* habent: *Denique cum tranſire Joſeph ad Aegyptum admonetur, ita dicitur. Codex* vero: *Denique cum tranſiret Joſeph ad egiptum ita ammonetur, diciturque.* Ultima illius ſunt: *Emitur uero a cuſtodibus qui omnia hęc uiderant argento reſurrectionis ſilentium*, jamque adjecerat Librarius: *et Mendacium*, prout in *Editis* excurrit, ſed neſcio, cur rurſus alleverit atrum transverſo calamo ſignum contentus addere: *Explicit Liber.*

Regis Summe Boni Teſtis Memor eſto Georı.
Scriptoris Libri Maculas Tergendo Piacli.

Vel ſolo hoc diſticho motus *Codicem* cum pluribus aliis jam recenſitis olim ad Monaſterium *Weltenburgenſe* O. S. B. in *Bajoaria* pertinuiſſe dixiſſem, niſi inſuper *Fol.* 1. p. 2. legerem: *Liber Sancti Georii in weltenburch*, et alia manu: *accepi dono ab abbate.* Haec igitur ſubfragantur Cl. *Pezio Diſſert. Iſag.* ad T. I. *Anecd.* p. 37. narranti, nihil in hoc Coenobio incuria Monachorum prioribus ſeculis prope peſſumdato veterum monumentorum reſtare.

II. *fol.* 68. p. 2. *Incipit liber domni bugonis de clauſtralibus.* Praeeunt Capitum Summaria inſcripta: *Hęc continentur in ſubiecto libro domini Hugonis prepoſiti S. Victoris martiris.* Exemplar unum *Cod.* DCXXXVI. dedimus, cui iſtud geminum eſt. Praefatio et hic incipit: *Locuturus kariſſime de his quę ad edificationem clauſtri materialis pertinent* &c. totusque Liber, qui in Editis *Rothomagi* 1648. T. II. p. 60. *ſecundum* locum occupat, hic *primum* tenet. Ita et qui ibi *Tertius*, nobis *Secundus*, incipiens a Praef: *Noſti kariſſime quod ea que de ordinatione clauſtri materialis diximus* &c. deſinensque in verbis: *tolle grabatum tuum et ambula*, reſciſſis omnibus, quae in *Editis*, maxime *de Templo Salomonis*, inconcinne adhaerent.

Pro